

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Io. Freinsheimii Commentarii in libros svperstites Q. Cvrtii Rvfi**

**Freinsheim, Johann  
Curtius Rufus, Quintus**

**[Argentorati], [circa 1639 oder später?]**

Cap. IV

**urn:nbn:de:bsz:31-103771**

## Exemplaria Curtiana.

Anno 1602. apud *LACOBVM STOER*.

Anno 1614. Editio *GENEVENSIS*. Item *Q. Curse tourné de Latin en François* par *N. Seguiet*. à Geneve par *PIERRE DE LA ROVIÈRE*.

Anno 1621. Editio Amsterodamensis, apud *GUIL. LANSONVM*.

Anno 1625. *TITI POPMÆ Notæ* in *Q. Curtium* prodierunt Lugduni Batauorum apud Elseuirios, simul cum *Notis IOAN. LOCCENI*.

Anno 1628. *MATTHÆI RADERI Commentarij*, apud Ioan. Kinckium Coloniae. Item Editio Amstel. apud *IOAN. LANSONVM*, quam ego habeo pro emendatissima earum quæ hæctenus prodierunt.

Anno 1633. Editus Lugduni Batauorum, ex Officina *ELZEVIANA*.

Ex his exemplaribus penes nos sunt Amsterodamensis Iansonii, duo Elzeviriana, Item Raderi Commentarius; Acidalii Animaduersiones. Editio Aldina, Brunonis, Merulae, Lugdunensis Antonii Candidi, Basileensis Henrici Petri, & Ioannis Gymnici Coloniensis. Reliquorum præcipua & plurima ne desideraremus, amicorum beneuolentia præstitit, quorum opera Variantes eorum Lectiones consecuti sumus. Nam *IOAN. ADAMVS SCHRAGVS* amicus noster per doctissimum *GRONDVIUM* adeptus facultatem describendi Varias Lectiones ex Gruteriano Codice; eas diligentissime consignatas transmisit. Eo in libro ita manu sua notauerat Gruterus; *Comparare capi cum mss. quinque, quorum tres erant Palatina Bibliotheca, duo Bongarsij, cuius meliorem roco Dan. quia fuerat aliquando Petri Danielis. die 7. Octobris 1602.*

*Ianus Gruterus.*

*Institutum illud deserui, sed multos annos post contulit hos libros cum iisdem mss. Isaacus Neucleus Doschius (Pithæi nepos) cuius manus toto isto exemplari conspiciuntur. nam ego illi inueni sacem meam tradidi, arbitratus futurum, ut ipse suo nomine eaderet, quod nondum factum fuit anno 1627.*

Itidem & Bongarsianorum exemplarium, ab ipso Bongarsio collatorum varietates descripsit nobis Vir. Clariss. *CYNRADVS SCHOPPIVS*, cum apud Bernates Eloquentiæ Professor ageret.

## CAP. IV.

Et quoniam ex collatione scriptorum maxima fere lux affulget historiæ, præcipuum opera fore duximus, enumerare & alios quotquot res gestas Alexandri pertexerunt. Ex quibus qui adhuc leguntur, eorum nuda nomina adponere suffecit, aliorum ætatem, scripta, patriam, quantum in hac breuitate potuit, diligenter enotauimus.

*ABRAHAMVS ABEN PHAREG MSVLI*. Raderus prolus. c. 4. scribit, hunc Arabicæ linguæ historiæ Alexandri M. contexuisse. extare Ms. *Ἀραβία* tamen in bibliotheca Bauarica.

*ACHMETES* Molla, siue Mentana Achmetes, hoc est, sapiens siue Doctor. Achm. rhythmicis versibus librum historiæ Alex. Magni composuit, & Emiris Suleimani nomine publicatam eundem. Hic ab eo vicissim donis eximius liberatissime cultus, fructum sui laboris uberem tulit. Leunclau. Hist. Musulm. lib. X. extremo. Hic forte est Turca, de quo in fine capitis huius.

*ADONIS CHRONICON*.

*ADRIANVS* Imperator etiâ Alexandreida scripsit. Stephan' in *Agata*, & in *Σάρανα*. *AESOPVS*. Hunc manuscriptum ineditum citat Iuretus ad epist. Symmachi lib. 4. epist. 33. Latium fecit Iul. Valerius, de quo infra. Putant autem esse historiæ illam fabulosam, quæ passim circumfertur.

AGA

## Scriptores Historiæ de Alexandro.

*AGATHARCHIDES CNIIDIUS* scripsit historias, quarum lib. 35. citat Athenæus 12, 6. Item Asiaticam historiam, quæ maxime videtur ad res Alexandri pertinuisse, ex qua octauus liber citatur Athenæo 4, 14. Item hist. Europæam, ex qua lib. 28. in testimonium adducit idem auctor 4, 19. Citatur & Aeliano in hist. animal. 5, 27. & 16, 27. & Luciano in Macrobiis. Plutarchus cap. 2. parallelorum exhibet historiam ex Agatharchidæ Samii rerum Persicarum libro secundo. Quem eundem cum Cnidio nostro arbitratus sit Gesnerus in Biblioth. non video. Certe Photius in Biblioth. diferte scribit, patria Cnidium, instituto Grammaticum fuisse; scribam insuper & agnoscen Heraclidæ, Lembri, & alumnus Cinnæi. De ætate eius ita comperimus. Post Mithridaticum bellum vixisse ostendit eius locus, quem Athenæus 12, 16. retulit. florentibus Romanorum rebus, de quibus interpretor illius verba, quæ leguntur in fine cap. 50. excerptorum. Vixit autem ante Traianum, nam citatur à Plutarcho sympos. 8. quæst. 9. scripsisse autem Asiaticas res libris decem, & de Europæ rebus libris 49. historiam pertexuisse, ex Photio discimus. Item quinque libros de rubro mari, quæque ad illud pertinent, quos scripsit ætate in senium vergente. Præter hæc compendium, aiunt, reliquisse eorum, quæ de rubro mari scripsisset. item de Troglodytis libros quinque. sed & Epitomen Lydes ab Antimacho scriptæ. Rursum aliud Breuiarium eorum, quæ de collectione admirabilium ventorum scripta extarent. Historiarum adhæc excerpta composuisse, atque de amicorum inter ipsos consuetudine. Insigne autem testimonium ei reddit idem Photius, adeoque Thucydidi æquat, & in quibusdam anteposit. Ipse quidem fateatur, se, quamuis Attice loquatur, Camaræ tamen (urbis in Creta) dialecto familiariter vti. Photius excerptis eius, c. 30. Nam excerpta quædam ex eo leguntur apud eundem Photium. Cod. 250. qui & *AGATHARCHVM* quibusdam dici auctor est.

*AGIS.* Hunc etiam de rebus Alexandri carmine scripsisse colligas ex Curtio 8, 5, 8. meminit eius & Arrianus 4, 2, 15.

*ALEXANDRI EPISTOLÆ.* Ex his quædam diu superfuerunt. nam & Plinius lib. 6. & Plutarchus cap. 17. eas citat. quæ vero hodie circumferuntur de sicu Indicæ ad Aristotelem, cum aliis nonnullis, pro germanis non habentur.

*ALEXANDRI HISTORIÆ.* vide infra. Iul. Valerius.

*ALEXANDRI M. 'ΟΔΟΠΟΡΙΚΟΝ* citatur à Strabone.

*ALEXANDRI VITA.* Lamprid. in Alex. c. 30. legit (Alexander Imp.) & vitam Alexandri, quem præcipue imitatus est. Vide etiam infra: *Μοιβή, βιβλ. 3. Alexandρινοῦ.*

*AMYNTIANVS.* Hic de laudibus Alexandri librum dedicauit M. Antonino Imp. prædicans, se stylo res Alexandri gestas exæquaturum. At deprehensus est in orationis progressu calidus quidem & audax promissor, in promisso vero implendo frigidus atque imbecillus. Multo etiam in dicendo iis etiam inferior est, qui ante ipsum de Alex. scripserunt. Hæc Photius in Biblioth. c. 131. Citatur ab interprete Pindari *AMYNTIANVS* de Elephantis, qui an idem sit cum nostro, docti viderint.

*ANAXIMENES LAMPSACENVS.* Priscas Græcorum, & Philippi atque Alexandri res gestas perscripsit. Ei Olympicæ statuæ honorem habuit patria, quod iratum Alexandrum, & excidium urbi minitantem placauit. vide Pausan. lib. 6. Qui addit scripsisse & historiam refertam maledictis in Athenienses. Lacedæmoniosque & Thebanos, eamque sub Theopompi nomine edidisse, ut inimico inuidiam concitaret. Versus in Alexandrum, qui Anaximeni adscribebantur, illius non videri, Pausanias pronunciauit. Eum & historias scripsisse, & poemata, & artes tractasse, & forensia certamina aggressum esse Dionysius in Isæo scribit; sed infirmum fuisse in omnibus, & persuadendi non magnopere gnarum. Athenæus 12, 6. citat opus eius inscriptum,

## Scriptores Historiæ de Alexandro.

Regum mutationes. & 6, 4. aliud, Historias Primas. Vide Ioseph. in Appion. lib. I. pag. 1091. D. & Scalig. in Euseb. num. MDCXCII. Auctorem fabulosæ quæ circumfertur historiæ quidam putant: Vincent. Beluac. 5, 39. Suidas Aristoclis filium, Diogenis Cynici, & Homeromastigis Zoili discipulum fuisse, ait, præceptorem autem Alexandri, quem & in bellis secutus fuerit. Eum citat & Plutarch. in orat. priori de fort. Alex. cap. 3. Cum his, & quæ toto hoc capite scribimus, operæ sit componere Vossium de Hist. Græc. 1, 10, & 24.

**ANDRONICVS.** Hunc Alexandri gestorum scriptorem citat Plutarch. in Aristide.

**ANDROSTHENES THASIVS.** Nauigauit cum Nearcho, & quædam ad hanc historiam pertinentia edidisse dicitur. Strabo lib. 16. Eius parapulus Indiæ citatur ab Athenæo, 3, 13.

**ANGELVS COSPPVS BONONIENSIS.** Vitam Alex. Magni à Ioanne Monacho conscriptam in Latinum sermonem transfudit. Libellus iste præfixus est editioni Curtianæ quæ prodit apud Henrichum Petri, Basileæ anno 1545.

**ANTICLIDES.** Citatur à Plinio 4, 12, 30. & ab Athenæo 9, 8. liber eius de reuerfionibus septuag. octauus. idem Atheniensem eum fuisse scribit lib. 10. c. 4. & lib. II. cap. 6. citat eundem in Expositionibus. Scripsisse autem & Alexandri historiam clarum est ex Plutarcho in vita Alexandri cap. 81. Operis eius de reuerfionibus meminit etiam Suidas & Clemens Alex. in admonitione ad gentes. Historiæ autem de Alex. Raphael Volaterranus.

**ANTIDAMVS HERACLEAPOLITES.** Huius historia Alexandri Magni, item libri Morales citantur à Fulgentio in expositione sermonum antiquorum, vnde colligas, eum Latine scripsisse.

**ANTIGENES.** Plutarch. Alex. cap. 81. hunc inter scriptores historiæ Alexandrinæ recenset, & ex eodem, vt suspicio est, Volaterranus. Citatur Antigenes quidam Plinio lib. 6.

**ANTISTHENES.** Volaterranus hunc Alexandri vitam & gesta posteritati tradidisse scribit. Videtur autem fuisse Rhodius, cuius Laetius meminit in fine vitæ Antisthenis philosophi. Citatur à Plinio lib. 36, 12. vbi de obeliscis ei sermo, quos Antisthenes attingere potuit in narratione Aegypti ab Alex. occupatæ.

**ANTONINVS ARCHIEPISCOPIVS FLORENTINVS** fabulas de Alexandro descripsit ex Iul. Valerio.

**APPION ALEXANDRINVS.** Græcus homo, qui Plistonices est appellatus, facili atque alacri sacundia fuit. is de Alex. Regis laudibus scripsit, vt auctor est Gellius lib. 6, 8. Hunc Tib. Cæsar cymbalum mundi vocabat, quum publicæ famæ tympanum potius videri posset. Plin. in præfat. Hist. Natur. n. 36. sub C. Cæsare tota circumlatum fuisse Græcia, & in nomen Homeri ab omnibus ciuitatibus adoptatum. Sen. epist. 88. n. 56. scribit. Eius librum quartum historiæ Aegypti citat Clemens Alexandrinus libro primo Stromat. vbi & mentionem facit libri quem contra Iudæos scripsit. quem duobus refutauit Iosephus. Grammaticum professione fuisse, & magum, constat ex Plinio 30, 2, 7. qui eum vidit & Plistonicen appellatum tradit lib. 37. cap. 5. sed & alibi eum citat, in magicis præsertim. sed & in libro de Apicii luxu Athenæus 7, 12. & de lingua Rom. idem auctor 15, 8. Scripsit & historiam de singulis gentibus, & commentarios in Homerum, quorum nimiam diligentiam sugillare videtur Seneca. Ob tot edita scripta appellatus est *Μεγιστός* id est Labor, vt testatur Suidas.

**ARCHELAFVS.** Chorographus, qui omnem ab Alexandro peragrata terram descripsit. Laetius in Archelao.

ARISTO-

## Scriptores Historiæ de Alexandro.

**ARISTOBVLVS** **ARISTOBVLI CASSANDREVS**. Hunc in historia sua se maxime sequitur Arrianus principio operis, quod perpetuus Alexandro comes fuerit, à quo & destinatum reficiendo Cyri sepulchro sub finem historiæ prodit. Qui cum Aristobulo Iudæo vnum faciunt, errare videntur. Cassandrensem citant Athen. 2, 6, 13. Lucian. in Macrobis & alii. Eius testimoniis sæpius vtuntur Plutarchus, ut in Demosth. cap. 32. & Strabo. Huius, vt videtur, librum in quo singulare certamen Alexandri cum Poro tradiderat, Regem in Hydaspem præieciisse refert Lucian. de conscribenda historia. Vide Vossium. de Hist. Græc. 1, 10. Soter. in dedic. belli Pañonicæ.

**ARISTOXENVS**. Commentarios huius citat Plutarchus Alex. cap. 5. Qui an ad Alexandrum magnopere pertinuerint, dubitari possit ex Athenæi 14, 3. videtur enim iis libris miscellanea quædam collegisse. Scripsisse autem & historias, & omnis generis libros ad 454. Suidas testatum reliquit.

**ARISTVS SALAMINVS**. Citat hunc Athenæus lib. 10. cap. 10. Multo iunior rem fuisse temporibus Alexandri, Strabo lib. 15. nos docuit. Scripsisse de Alexandri rebus gestis scimus ex Arriano 7, 3, 22.

**ARRIANVS NICOMEDIENSIS**. Huius historia cum etiam hodie satis ostendat auctoris sui præstantiam, obscurioribus, aut iis quorum opera non extant, sermonem potius commodabimus.

**ARRIANVS EPOPOEVS** Alexandreida, siue carmen de Alexandro 24. libris constans hunc scripsisse Suidas tradit.

**ASCLEPLADES**. Inter scriptores huius historiæ quidam hoc nomine memoratur Arriano 7, 3, 22.

**BÆTON**. Dimensorem itinerum Alexandri librum edidit, quem inscripsit stationes expeditionis Alexandri. Athen. 10, 12. Citatur & Plinio 6, 17. Vbi tamen BITON vocatur.

**PETRVS BIZARVS**. in Historia Persica.

**CALINVS STRYS**. Plutarchus in Aristide.

**CALLISTHENES**. Euocatus ab ipso Alexandro ad scribendam eius historiam. Justin. 12, 6, 17. deinde interfectus. Curt. 8, 3, 21. Scribit hoc loco Raderus famam de Callisthenis huius historia, quam adhuc superstitem faciebat, vanam esse, idque sibi compertum ex Ducæi litteris, quem rogauerat vt exemplar transcribi curaret. Et sane ex principio pseudo-Callisthenis, quod Ducæus transtulit, apparet esse historiam fabulosam, de qua mox in Iulius Val. De Callisthenis stylo iudicium Ciceronis habes in Epist. ad Q. fratrem 2, 12.

**CAPPELLVS** in Hist. Sacra & Exotica ab Adamo usque ad Augustum.

**CARSTVS PERGAMENVS**. Commentarios Historicos scripsit, in quibus & de rebus Alexandri tractasse argumentum sunt loca, quæ ex eo profert Athenæus 10, 9, 10, 11, 15, 13, 8. & 15, 8.

**CEDRENS** hodieque legitur.

**CEPHALEON**. Quem patriam suam pressisse scribit Photius Cod. LXVIII. Scripsit autem libros nouem quibus Musarum nomina indidit: quorum postremis Alex. quoque res complexus, vt patet tam ex loco citato, quam alio, apud eundem Photium Cod. CXLI. Temporibus autem Adriani vixisse eum, ex Suida notum est.

**CHARES IS. ANGELVS**. Plutarch. Alex. c. 8r. dubito an idem sit cum sequente.

**CHARES MITYLENEVS**. Citatur à Plutarcho in Alexandro cap. 33. & 96. & ab Athenæo 7, 2, 12, 2. & ab eodem 3, 13. liber eius septimus historiæ Alexandri & 22, 9. & 13, 4. Vide & Gellium 5, 2.

**CHARON**. Hoc nomine tres historici recensentur à Suida, quos omnes verisimile sit Alexandri quoque gesta composuisse: nisi forte Lampfaceno, qui primus inter illos

## Scriptores Historiæ de Alexandro.

illos memoratur, ætas obstat, quem tamen longe post primum Darium vixisse patet ex iis quæ Athenæus retulit, locis. Tempore Xerxis viguisse refert *Ὀλυμπιάδων ἐναρτυραφίη*.

**CHOERILVS.** Hic quoque inter Alexandri comites cum esset, res eius carmine composuit. Horatius lib. 2. Epist. 1. Gratus Alexandro regi Magno fuit ille Choerilus, incultis qui versibus & male natis Rettulit acceptos regale munifera, Philippos. Eum pro pessimo conditore carminum Curtius habet 8, 5, 8. Notum est de pacto quod inter eum & Alex. intercessit, vt pro singulis versibus si boni forent aureum, si mali, colaphum acciperet. Huius Choerili videntur esse versus, quibus epitaphium Sardinæ insulari includitur, qui extant apud Athenæum 12, 7. Vide Scalig. ad Euseb. num. M D XXXIV.

**CLEARCHVS SOLENSIS.** Aristotelis discipulus scripsit inter alia vitarum libros in quibus & de Dario, ab Alex. euerso, vt scimus ex Athenæo 12, 9.

**CLEMENS.** Hunc tantum ex Apuleio nouimus, cuius & coætaneus fuit. Sic enim ille 1. Floridorum: Quæ omnia (Alexandri facinora) aggressus est meus Clemens, eruditissimus & suauissimus poetarum, pulcherrimo carmine illustrare.

**CLEO SICVLVS.** Inter præcipuos Alexandri adulatōres nominatur à Curtio 8, 5. ex quo loco colligas eum etiam carmina in laudem Alexandri composuisse. Stephanus in *Ἄνωσις* citat Cleonem Syracusium qui de portubus scripsit, quem eundem fuisse non immerito dubites.

**CLITARCHVS.** De hoc Quintilianus 10, 1. Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur. Eius historiam de Alexandro, cuius & comes fuit, citat Plutarchus in vita cap. 47. Plin. 6, 13, 6. Aelian. in hist. anim. 17, 2. 22. 23. 25. Athenæus quidem peripse, quemadmodum & Strabo. Huius historiam interpretatus est Curtius, vt quidam putant, eo argumento, quod Curtius eura laudet 9, 5, 21. Sed ipse ille locus eos diuersum docere debuit: nec enim Clitarchum ibi solum, sed & Timagenem citat, quos tantum abest, vt sequatur, vt potius securitatis & credulitatis eos arguat.

**CLYVERIVS** in Epitome Historica.

**CONSTANTINVS MANASSES.**

**CORNELIVS NEPOS.** Epistolam Alex. de Indiæ situ &c. in Latinum sermonem transfuisse dicitur. Nescio an idem sit qui de rebus Alex. scripsit, auctore histor. Miscella 12, 19.

**CRATERVS.** Hic cum sub Alexandro res gereret, eius etiam historiam dicitur conscripsisse. Meminit Crateri Plut. in Aristide cap. 51. haud dubie ex libris eius *περὶ ἑνεργημάτων*, vt citantur Stephano de urbibus, qui quamuis etiam Macedo fuerit, alius tamen esse potest à nostro, quem maximis laudibus ornauit apud Suidam Eumenes. Res autem Alex. attigit etiam in epist. ad matrem Aristopatram, cuius meminit Strabo lib. 19.

**DAIMACHVS.** Huius Indica citat Athenæus lib. 9. cap. 11. Strabo mendacissimum scriptorem appellat lib. 2. vbi dicit missum ad Allitrochaden Indum, suarum peregrinationum commentarios reliquisse.

**DEXIPPVS.** Citat hunc Cedrenus in Historiarum Compendio. Eius Excerptum est apud Eusebium in primo Chronicorum. Vixisse temporibus Galieni & seqq. Imp. Dexippum qui temporum historias contexuit, virum in liberalibus disciplinis & facultate logica versatissimum, Eunapius in fine Porphyrii tradidit.

**DIKÆARCHVS.** Hic videtur Alexandri res attigisse in libris de vita Græcorum, qui citantur Athenæo 13, 1. Fuit autem ex Messana Siculus, Aristotelis auditor, vt Suidas tradidit. Citat eum sæpius Plinius in libris prioribus ex Geometricis scriptis,

## Scriptores Historiæ de Alexandro.

ptis, cum ea laude, fuisse virum eruditum, & Regum cura montes permensum. Locum ex primo eius libro refert Africanus in sylloge Regum Ægyptiorum annexa à Scaligero editioni Eusebiana.

**DIO CHRYSOSTOMVS PRVSIEVS.** Inter alia de Alexandri virtutibus libros octo scripsisse dicitur apud Suidam. Plura de eo Photius in Bibliotheca.

**DIODORVS SICVLVS.**

**DIODOTVS ERYTHRÆVS.** Ephemerides Alexandri scripsit, vt colligitur ex Athenæo 10,9.

**DIOGENES BABYLONIVS.** Hunc de Alexandro scripsisse clarum ex Quintil. 1,18. & Clemente Alexandrino lib.1. Stromatum. Vt qui Antipatri præceptorem fuisse volunt, de iuniore Antipatro intelligere necesse habeant.

**DIOGNETVS.** Cum Batone coniungitur apud Plinium 6,17.

**DIONYSIVS.** à Philadelpho missus in Indiam, vt Plin. 6,17. tradit, cum regibus Indicis moratus, vires quoque gentium prodidit. Quod certe fieri non potuit, sine præcipua Alexandri, rerumque iis locis ab eo gestarum, mentione.

**DIOTIMVS ATHENIENSIS.** Hunc etiam inter scriptores historiæ Alexandrinæ forte reponendum colligas ex Athenæo 10, 10.

**DOROTHEVS ASCALONITES.** Historias huius de Alexandro citat Athenæus 7,2.

**DRESSEVS.** In Millenariis.

**DYRIS SAMIVS.** Varia scripsit, inter quæ & Res Macedonicas huc maxime pertinentes. Citatur sæpissime ab Athenæo, & Plutarcho in rebus ad Alex. spectantibus.

**EPHIPPIVS OLYNTHIVS.** De Alexandri & Hephæstionis exsequiis scripsit, vt constat ex Athenæo 10,9. 12,9. Alius est Ephippus, itidem Historicus apud Suidam.

**ERATOSTHENES CYRENÆVS.** Huic se non plane assentiri dicit Arrianus 5,12. quamquam probatissimum auctorem nominet, mox 5,1,20. Citat eum & Plut. in Alex. c.3. & alibi sæpius. Quin & alii multi, & imprimis Strabo. Sed hic ea tantum auctorum loca indicare propositum nobis est, quæ de historiâ Alexandri ab vnoquoque perscripta fidem faciant.

**EUMENES CARDIANVS.** Hic sub Alexandro res gessit, vt patet ex Arriano, & Plutarcho, qui & Vitam Eumenis edidit, quomodo & Æmilius Probus, siue Cornelius Nepos est. Eius autem Ephemerides Alexandræos citat Athenæus 10,9. Eum mire confundit Suidas cum Rege Pergameno cognomine, quin & ex vtroque Macedonum Regem constat. Restituendum hoc nomen Æliano lib.3. cap.23. in fine, de Varia Historia. nam quæ ibi relata fuerunt, & apud Plutarchum reperiuntur, haud dubie fuerunt ex Ephemeridibus Eumenis: ergo caput ita claudit; *ὡς καὶ Εὐμένους ὁ Καρδιανὸς καὶ ἑκείνους ἐστίν*, pro quibus vulgo legitur; *ὡς καὶ ὁ μὲν ὁ Καρδιανὸς*. Eandem emendationem reperi postea in Emendatione Leopardi lib.2. cap.12.

**EVSEBIVS CHRONOGRAPHVS.**

**EVSEBIVS** quidam. videmox Iulius Valerius.

**GYALTERVS BELGA.** Scripsit carmine Heroico gesta Alexandri Magni libris decem, qui editi sunt. de hoc Guillelmus Briton. in præfat. Philippidos:

*Gesta ducis Macedum celebri describere versu*

*Si licuit Galtere, tibi, qua sola relatu*

*Multinago docuit te vociferatio sumæ.*

**GLYCAS** in Annalibus.

E

HAR

## Scriptores Historiæ de Alexandro.

**HARPOCRATION.** Hic cur à Radero scriptorum horum catalogo inferatur, nondum reperit.

**HARTLIEBVS BOIVS.** Iulii Valerii historiam in Germanicum sermonem transtulit, teste Radero.

**HECATEVS ERETRENSIS.** Recensetur inter Auctores huius historiæ à Plutarcho in Alex. cap. 81. Quin & *ABDERITAM HECATEVM* verisimile est hanc Spartam ornasse, cum & historiam scripserit, & Alexandri comes fuerit, vt legitur apud Iosephum lib. 1. contra Appionem. Adde Vossium de Hist. Græc. 1, 10.

**HEGESANDER.** Quod hic multa ad Alexandrum pertinentia in commentariis præcipue suis scripserit, patet ex iis eorum locis quæ passim recenset Athenæus.

**HEGESIAS MAGNES.** Huius fragmenta ex Historia, vt credibile est, Alexandrina, reperiuntur apud Dionys. Halicarn. de Orationis structura, & Agatharchidem in excerptis apud Photium, vtrobique producta in exemplum exilis & languidæ compositionis, sed & Cicero ineptum eum vocat in Bruto cap. 83. & de Oratore cap. 67. frigidum exclamatorum Plut. Alex. cap. IV.

**HELYMON.** Cecinit res Alexandri, quem idem Rex in cauea mori cõggit, ausum tentare tanti regis opera, vires eius superantia. Hæc Radertus. Vide Gyrald. de Poët. Dial. III. & Suidam in *Χολύιλ*.

**HERACLIDES.** Citatur ab Plutarcho in Alex. cap. 45. quem credam fuisse Alexandrinum qui Laërtio teste, de successionibus, regum scilicet suorum, scripsit. Fuit & alius hoc nomine gente Cumanus, qui res Persicas enarrauit, & ab Athenæo citatur. Ex quo tamen deprehendere non potui, post Alexandrum, an ante eum vixerit.

**HERMIPPVS.** Vide Plut. Alex. c. 95.

**HIERONYMVS CARDIANVS.** Vide Voss. de Hist. Græc. 1, 11. ex Suida, in quo dubitabam.

**HISTER.** Qui forte *ISTRVS* Volaterrani, dicitur multa scripsisse apud Suidam. Plutarcho refertur inter scriptores huius historiæ in vita Alex. c. 81.

**HISTORIA MISCELLA** lib. 12. c. 19.

**JASON.** Vossius de Hist. Græc. 1, 10. f.

**IDOMENEVS.** Videtur inter scriptores Alexandrinæ historiæ cieri à Plutarcho in Demosth. cap. XXXII.

**IOANNES ANTIOCHENSIS.** Historiam ab Adamo vsque repetiit, in qua & Alexandrum memorauit, vt patet ex excerptis Constantini, quæ ante hoc quadriennium Henricus Valesius publici iuris fecit.

**IOANNES MONACHVS.** Huic multum tribuit Cælius Rhodiginus, eumque persepe laudat, vt 3, 5. 18, 18. 22, 20. 23, 4. Adiunctus est editioni Basileensi, quæ prodiit anno 1545. Interprete Angelo Cospo Bononiensi.

**ILLANVS IMP.** in Cæsaribus.

**IPLIVS VALERIVS.** Latinam fecit Historiam fabulosam de Alexandro, quæ ab aliis Æsopo, ab aliis Callistheni adscripta fuit. Vnde fabulas suas certatim hauserunt Antoninus, Vincentius, Vrspergensis, alii. Precium videbatur adscribere hoc loco iudicium C. Barthii ex 2, 10. Aduersariorum: Falsa multa in non inerudito monacho sunt, qui vitam Alexandri Magni prodigiosis mendacibus factam edidit ante aliquam multa secula: quæ fabula tantum olim fidei habuit, vt à prudentibus etiam scriptoribus sic testimonio citata, qualis sane ante plus quam quatuor secula fuit in Anglia Siluester Giraldus, qui non dubitauit eius cellionis auctoritate vti. An ea egregia historia edita vnquam sit nescio, nos in charta scriptam habemus, sed tanti vix æstimamus.



## Scriptores Historiæ de Alexandro.

mus, vt in Bibliothecam recipiamus. Est idem auctor quem *Ælopum* vocat, & interpretatum à Iulio Valerio Franciscus Iuretus ad Symmachi lib. 1. Epist. 54. Editione quidem priore. Ego vero neque de auctore neque de interprete credo Romani Græci hominis esse, maxima enim in eo Græci sermonis ignorantia, nec vlla Romani notitia est. Hactenus Barthius. Typis excusa est Germanice, anno 1486. Argentorati. Citatur & Salmasio ad Solinum pag. 1025. Vetus scriptor qui res Alexandri fabulose composuit.

### *IUSTINVS.*

*LAZIVS* in rebus Græcis.

*LYCVS.* Stephanus in *Ξυδιε*.

*LYNCEVS SAMIVS.* Huius commentariis Alexandri gesta pertractata fuisse, suspicio est ex Athenæo 10, 9.

*MARSIVS PERIANDRI F.* Huius Res Macedonicas citat Athenæus 14, 7. & Plutarch. Demosth. cap. XXIV. quas perscripsit libris decem, initio ducto à primo Macedonum rege, progressus vsque ad Alexandri expeditionem in Syriam. Composuit & ipsius Alexandri educationem; cum quo simul educatus fuerat. Fuit enim patria Pellæus, Antigoni qui postea regnavit frater, vt auctor est Suidas. Marsyam Macedonem citat Plinius lib. 12. & 13. Præfectus nauium fuit sub Demetrio. Diodor. 20, 51. Vide Vossium de Histor. Græc. 1, 10.

*MEGASTHENES.* Hunc probatissimum auctorem vocat Arrianus 5, 1, 20. & persepe citat, præsertim in Indicis suis: sicut Ælianus in Hist. Animal. Cum regibus Indicis moratus vires quoque gentium prodidit, vt Plinius scribit lib. 6. c. 17. Missus ad Androcotum Indum suarum peregrinationum commentarios reliquit, fabulis refertos, arguente Strabone lib. 2. Scripsit & Politica, quæ citat Athenæus.

*MENÆCHMVS SICYONIVS.* Scripsit historiam Alexandri Magni. Suidas. Volaterranus.

*Μορίβηλα* *ALEXANDRINORVM.* Hunc Alexandrinos de vita Alexandri conscripsisse auctor est Nicephorus Ecclesiast. Historiæ lib. 10. c. 36.

*NEARCHVS.* Ille cum Alexandro militauit, & de Alex. historiam conscripsit. Mentitus autem est, quod se Nauarchum esse scripserit, cum fuerit vnus tantum nauis gubernator. Hæc Suidas. Sed si recte memini, crimen illud ab aliis fide dignioribus impingitur Onesierito. Certe Nauarchum appellat etiam Philostratus in Apollonii vita lib. 3. & diserte Arrianus in Indicis 3, 12. Multa autem in historia mentium ait Strabo lib. 2.

*NESTOR.* Huius Alexandria citat Stephanus in *Υπερομμ*.

*NICANOR.* Res gestas Alexandri Macedonis scripsit, Auctore Varrone in quarto rerum diuinarum, quem citat Lactantius lib. 1. cap. 6. & ex eo Sabellicus Enneadis 2. lib. 3. & Lud. Viues ad Augustin. de Ciuitate Dei lib. 18. c. 27.

*NICOBYLE.* Huius fragmentum de Alexandro legitur apud Athenæum 12, 9.

*NYMPHIS HERACLEOTES.* Scripsit de Alex. & successoribus eius. Suidas. Librum eius nonum de Ptolemæis citat Ælian. Hist. Animal. 17, 3.

*OLYMPIADVM DESCRIPTIO.* Hanc cum Eusebio edidit Ios. Scaliger.

*ONESICRITVS.* Citatur à Plinio 6, 22, 2. Alexandri incunabula & originem scripsit, Laërtio teste. Strabo cum reliquis multa mentium arguit lib. 2. & præsertim lib. 15. in hunc sensum: hunc meliore iure fabulosarum & incredibilium de Alex. narrationum, quam gubernatorum naualium eiusdem rectorem dicere possis. Equidem quotquot Alexandrum comitati, de rebus eius gestis aliquid scripsere: ii admiranda vcris antehabuerunt, monstrosis tamen narrationibus omnes eos hic superasse videntur.

Scriptores Historiæ de Alexandro.

tur. Nomen huius corruptum arbitror apud Lucian. de conscribenda historia. Ut enim conijcere est, hic fuit, ad quem Alex. dixisse fertur, haud dubie historiam ei suam offerentem, optare se ut in vitam redire posset, & cognoscere, quibus animis istam narrationem accepturi essent homines. Quare pro istis vocibus, *ὁ Ὀνησίκριτος* scribendum erit, *ὁ Ὀνήσιτος*.

**ORTHAGORAS.** Hunc cum Onesicrito nauigasse conijcio, ex Æliano de hist. animal. 17, 6. conscripsit autem libros de rebus Indicis, quos idem auctor citat in hist. animal. 16, 35. & Philostratus in vita Apollonii lib. 3.

**OTTO FRISINGENSIS.**

**PATROCLES** apud Strabonem lib. 2. ait, Eos qui Alexandro comites expeditionis fuerunt, obiter tantum singula cognouisse; Alexandrum vero ipsum accurate omnia indagasse, cum ei regionum descriptiones à peritissimis traderentur: ita hanc descriptionem sibi postea temporis exhibitam esse ait à Xenocle gazæ præfecto.

**PHANIAS** apud Clementem lib. 1. Stromat. de transitu Alexandri in Asiã meminit. Quem puto fuisse discipulum Aristotelis, cuius Suidas meminit.

**PHILIPPVS CHALCIDENSIS.**

**PHILIPPVS ISANGELVS.** Huius & superioris meminit Plut. in Alex. cap. 81.

**PHILON THEBANVS.** Plutarchus dicto loco.

**PHYLARCHVS.** Hunc inter hos scriptores non retulisset, nisi id iam fecisset Raderus. Nihil enim reperi quod eum in hanc classẽ admitti iubeat. Citat quidem locum ex eius lib. 6. Athenæus 6, 13. qui ad Alex. spectat: sed certum est esse eum librum ex iis quos de Pyrrho, & posterioribus regibus composuit.

**PINDARVS.** Huius versus in Alexandrum Macedonem refert Dionysius in Rhetoricis pag. 179. Vnde Raderus colligit esse eum Pindarum posteriorem *ὁ Πίνδαρος ἁπλοῦς*. Cuius quidem & Suidas meminit. Sed potius crediderim versus Dionysio citatos esse Pindari senioris, scriptos ad Alexandrum Macedonem, non Magnum nostrum, sed alium, Magni proauum, & propterea neminem huic Catalogo Pindarum inserendum videri. *Facit mecum Dio Chrys. Orat. 2. Tzetzes Chil. E. 7, 339.*

**PLUTARCHVS.**

**POLYÆNVS.**

**POLYCLETVS LARISSÆVS.** Eius librum octauum historiãrum citat Athenæus 12, 9. Citatur & Straboni Polycletus, quem hunc ipsum esse puto, lib. 16.

**POLYCRITVS.** Plutarchus Alexandro cap. 81.

**POMPEIVS TROGVS.** Cuius epitomen Iustinus fecit. Eum citari puto in Historia Miscella lib. 12. c. 19.

**POTAMON MITYLENÆVS.** Hic etiam in hunc censum refertur à Volaterrano & aliis, auctore Suida, qui eum tempore Tiberii vixisse, & ab eo summe honoratum fuisse asserit.

**PRAXAGORAS.** Photius Cod. LXII.

**PTOLEMÆVS.** Qui post Alexandrum in Ægypto regnavit. Eum se præcipue secuturum esse profertur Arrianus. Citat eum & Curtius noster 9, 5, 21. & Plutarch. in Alex. cap. 81. quod ideo refero quod in hoc nomine errasse video Gesnerum in Bibliotheca, qui hunc Ptolemæum, & sequentem in Plutarcho Anticlidem pro vno eodemque habet. Laudat & Athenæus eius commentarios sapissime.

**REINECCIVS.**

**SABELLICVS.**

**SELEVCVS.** Hunc etiam qui cum Alexandro militauit, non nihil de rebus eius edidisse, ni memoria me fallit, apud Diodorum Siculum legi.